



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

De S. Attilano Episcopo Zamoræ In Hispania. Commentarius Prævius.
Variæ de Sancti ætate, cultus initio, deque ejus episcopatu sententiæ:
diversus est ab episcopo Attila; S. Froilani discipulus et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

A *sia S. Petro sacra, quæ cathedrali vicina erat. At, cum ultimi sui asserti antiquum testem non laudet, fides sit penes Loberam.*

z Allegatam hic translati corporis S. Froilani causam Lobera improbabilem censet, cum tunc temporis timendum a Saracenis non fuerit, aut, si fuisset, non ex urbana in suburbanam S. Petri ecclesiam, quæ hic designata videtur, transferri Sancti corpus debuisset, utpote quæ magis, quam cathedralis ecclesia, hostium furori exposita erat.

aa *Mirabilia, quæ in hac translatione contigisse, Lobera a pag. 153 narrat, apud eum legat, cui ad id animus est. Veror ego, ne hæc tam incerta sint, quam annus et dies, quo illa translatio facta fuerit.*

bb *Morerolensis abbatiæ antiqua Missalia hujus translationis memoriam indicant die 16 Januarii, uti ait Lobera pag. 156 versa. At quoniam anno hæc facta sit, definire non audeat laudatus scriptor pag. 156 versa. Ceterum prodigiosam hujus translationis historiam, qui mirabilibus delectatur, apud eum legat a pag. 154.*

B *cc Hujus translationis memoria agitur in Legionensi ecclesia die 11 mensis Augusti, uti Lobera pag. 158 testatur. Ceterum haud multo aliis certiora sunt hujus translationis adjuncta,*

quæ legis apud eundem Lobera a pag. 156. Id unum aliunde certum est, S. Froilani corpus, partim in Legionensi ecclesia, partim in Morerolensi honorifice depositum esse, prout Athanasius de Lobera jam sæpe laudatus, Ypezius aliique multi testantur. Quam vero diu ante annum Christi 1142 Legionem pars corporis S. Froilani reecta fuerit, nihil etiam occurrit, unde definiam. Sane non ultra hunc annum differri posse translationem illam, manifestum fit ex Historia translationis corporis S. Isidori, episcopi Hispalensis cap. 5, in qua apud nos tom. I Aprilis pag. 361 expressa mentio fit de S. Froilani corpore seu corporis ejus magna parte, quæ una cum aliis Sanctorum reliquiis solemnibus supplicantium ritu per Legionensem urbem delata fuit per Joannem ejusdem urbis episcopum; qui cum sedem hanc anno Christi 1133 ascenderit, eamque, uti in Catalogo Episcoporum Legionensium tom. VI Martyrologii Hispani pag. 99 traditur, non ultra annum Christi 1142 tenuisse videatur, consequens est, ut ante annum illum 1142 e Morerolensi monasterio in Legionensem ecclesiam illata fuerint illæ S. Froilani Reliquiæ, atque adeo ut translatio illa sub Manrico Joannis successore, qui ad usque annum Christi 1161 in vicis fuit, non recte ab aliquibus statuatur.

DE S. ATILANO EPISCOPO

ZAMORÆ IN HISPANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. G.

Variæ de Sancti ætate, cultus initio, deque ejus episcopatu sententiæ : diversus est ab episcopo Attila; S. Froilani discipulus et dein, uti ostenditur, episcopus Zamorensis fuit : Benedicti PP. XIV de ejus canonizatione et episcopatu verba expensa : Sancti in Mrll. memoria, cultus, reliquiæ : qualia Acta edenda.

C ANNO MIX. Propositis, que de Sancti ætate, ecclesiastico cultu

Tametsi inter editam S. Froilani edendamque S. Attilani Vitam ea comæxio esse videatur, ut, qui illam norit, hanc pariter maxima ex parte norit; nec appareat, stabilita variis diplomatis S. Froilani ætate, difficultatis quidquam superesse, ut S. Attilani quoque, quem communis auctorum consensus illius in monastico instituto discipulum facit, sat prope defuiri ætas queat; tamen, si res penitus inspicatur, varique, qui de hoc Sancto scripserunt, auctores consulantur, non omnem de Zamorensi Præsule nostro enodatam difficultatem, imo ne ullam quidem, quæ ad eum nominatim pertineat, in transcurso jam editi Commentarii attactam fuisse, nemo non manifeste videbit. Quippe, præterquam quod, coævorum testium defectu, non ita certum videatur, Attilanum nostrum S. Froilani in monastico instituto alumnum exstitisse, tam dissona tanque inter se pugnantia gravium scriptorum de illius ætate, episcopatu et cultus initio testimonia occurrunt, ut, in quam te veritas partem, anceps primo intuitu

hæreas. Et vero, prout Athanasius de Lobera, sæpissime supra laudatus, pag. 335 versa Hist. Magnitud. eccl. Legionensis et alibi in sui Operis decursu luculente ostendit, alii Sanctum ante generalem Hispaniarum per Mauros sæculo viii devastationem; alii tempore Alphonsi II, Legionensium regis, cognomento Casti, seu ante annum Christi 842; alii tempore Alphonsi III, cognomento Magni, seu ante annum 912; alii denique sæculo xi ineunte, alii eodem nonnihil progressu, mortalem cum immortalis vita commutasse, asserunt: et rursus, eum alii Zamorenses, alii Legionenses, alii Astoricenses, alii regionarium sine certa sede episcopum faciunt. Denique de initio exhibitæ ei ab Ecclesia cultus nihilo magis inter auctores multos convenit, cum alii eum ab Urbano PP. I, alii ab Urbano PP. II in Sanctorum numerum relatum fuisse scribant.

2 Non multo ea ex parte, uti infra patebit, expeditu difficilis hic locus est; at non ita paucis ac facile quorundam de Sancti ætate et episcopatu sede assertionibus fieri potest satis. Nam quominus S. Attilanus, prout in Vita S. Froilani refer-

F et episcopatu Zamorensi agitantur, controversis,

AUCTORE
J. G.

tur, hujus in monasticæ vitæ instituto ad annos aliquot socius, ac dein anno 990 una cum eo consecratus episcopus statui possit, ut aliorum infundatas opiniones, et quæ vel parum vel nihil urgent, argumenta nobis adversantium transmittam, ob stare penitus videntur Ordonii II, Legionensium regis, diplomata, sub annum Christi 915 edita, quibus S. Attilani nostri, jam tum episcopi, nomen subscriptum esse, Ambrosius, de Morales tom. III Chronici generalis Hisp. lib. xv, cap. 44 confidentissime et tamquam oculatus testis affirmat. Ex opposito vero ne Zamoremensem episcopum ab anno Christi 990 S. Attilanum dicamus, prohibere videntur Roderici, archiepiscopi Tolitani, sæc. xiii scriptoris, aliorumque insignium auctorum disertissima verba, quibus Zamoremensem urbem, non nisi post integrum ab Attilani morte elapsum sæculum, in episcopatum erectam fuisse, tradere videntur. Rodericum audi lib. vi de Reb. Hisp. cap. 27 in fine: Eum (Hieronymum Petragoricensem, seu, ut loquitur, de patribus Petragoricæ) dominum Bernardus metropolitanus ejus et primas, (inchoato jam annis aliquot sæculo xii) in civitate posuit Zamoremensem, ut ibi episcopalia exerceret, in qua (Zamorensi urbe) nondum fuerat nec episcopus, nec ecclesia Cathedralis. Duxit etiam de eisdem partibus Bernardum, quem post mortem Hieronymi fecit episcopum in ecclesia Zamorensi, et iste fuit primus proprius episcopus Zamorensis. Audi et pro recentioribus Garziam Loaisa in Collect. concil. Hisp. pag. 187, vel eruditissimum Cardinalem Aguirre tom. II. Concil. Hisp. pag. 312 hæc ejus verba transcribentem: Zamora, inquit, Alphonso VI oratore, Callisto II Romano Pontifice, circa annum Domini 1119 in episcopatum erecta, adeoque diu post annum Christi 990, quo nos Sanctum Attilanum episcopum Zamoremensem statuimus. Atque hæc præcipua sunt difficultatum infra explandandarum capita, quæ, quod soli Attilano propriae sunt, in præcedenti Commentario apte discuti non potuerunt, ac proin necessario huc remittendæ fuerunt.

probatur perperam is confundi cum quodam Attila episcopo,

3 Ac primo quidem quod ad Moralesii, supra laudati, sententiam attinet, qua is loco citato sub Ordonio II circa annum Christi 920 SS. Attilanum et Gennadium Asturicensem obiisse, certum existimat: non ei in hac parte refragabor, quæ S. Gennadium spectat, cujus obitum etiam Papebrochius noster tom. VI Maii pag. 94 circa annum 925 collocandum censuit: at non sic me sibi consentientem habebit, cum S. Gennadio Attilanum nostrum coævum facit, nixus, nescio, quibus diplomatibus, Zamoræ ab Ordonio II editis. Etenim tametsi verum sit, sub eo principe Attilam quemdam episcopum existisse, qui uni pluribusve diplomatibus subscripserit; an propterea Attila ille (ita enim illic nomen ejus scribitur) non alterius, quam Zamorensis urbis, antistes fuit? Aut an is certo idem est cum Attilano, qui Sanctorum albo inscriptus, hodierno die in Mrl. Romano celebratur? Neutrum profecto, mea quidem sententia, Moralesius inde confectum dederit, cum, teste Athanasio de Lobera pag. 367, diplomata illa Attilam quidem episcopum præferant, at sine ullo episcopalis sedis, quam hic tenuerit, indicio. Nece ambigas, utri major in hac re adhibenda fides sit, asservit loco citato præfatus Lobera, se idem tabularium, quod Moralesius commemorat, suismet oculis etiam vidisse, usque, qui Moralesium eo introducerant, præsentibus, diplomata illa perlustrasse, quibus, inquit, tametsi Attilæ episcopi

subscriptum nomen sit, ipsa tamen episcopalis sedes nusquam exprimitur. Atque hinc cum auctor ille (Moralesius) S. Attilanum Zamoremensem episcopum fuisse sciret, hunc cum esse ratus, qui diplomatibus illis subscripserat, inconsiderate Attilam illum, non sine veritatis historice damno, Zamoremensem episcopum fecit. Ita memoratus Lobera, qui, nisi eruditus testibus perspecta ceterisque certissima retulisset, non impune et tacentibus Hispanis omnibus, tantæ oscitantia regium chronographum publice arguisset.

4 Fac etiam, Sandovalium, qui Moralesio favet, hallucinatum non fuisse, dum pag. 66 de monasterio Sahaguntino scribens, asserit unum alterumve diploma exstare, in quo Attila ille Zamorensis episcopus dicitur, eundemque hunc cum illo esse, qui librum de Virginitate S. Marie a S. Idephonso compositum, manu sua transtulit, e monacho de Domno sancto creatus Numaninus seu Zamorensis episcopus, prout apud Mabilonium Sæc. vi Benedict. part. A pag. 82 refertur; hæc, inquam, Moralesio etiam concedantur. Num hinc solide conficitur, hanc a S. Attilano nostro diversum non esse, nec unius alteriusve sæculi decursu duos Attilanos in eadem episcopali cathedra sedisse? Atqui etiam in Sandovaliana sententia nisi hæc, quæ adstruo, ut veritati consona admittantur, necesse per consequens erit, ut vel contra expressam plurium diplomatum fidem S. Froilanus, Attilani nostri magister, ante sæculi ix exitum sub Alphonso III floruisse statuatur, vel ut contra commentissimam scriptorum opinionem constantemque ecclesiarum Hispaniæ traditionem S. Attilanus Froilani in monastica vita discipulus deindeque coepiscopus fuisse, negetur. At Moralesius tom. III pag. 151 et seq. nihil absurdum in eo invenit, ut sub Alphonso III S. Froilanus potissimum floruisse dicatur; quin imo id ipsum pluribus ipse contendit. Id quidem non me latet. Verum nam suam Moralesius antiquitatis testimonio, ut nos nostram supra stabilivimus, sententiam firmavit? Num adducta a nobis diplomata vel rejecti vel ita exposuit, ut sua his non evertatur opinio? Neutrum vir eruditus præstitit; imo, ne unum quidem ex tam multis, quæ Lobera recensuit, diplomatibus ab anno 990 a S. Froilano firmatis, Moralesio notum fuisse, non temere conjectare licet. Neque vero cum eodem apud Loberam pag. 368 argui contra nos potest, dum Ordonius II sub annum 918 ex proprio palatio, ut Lucas Tudensis in Chron. tom. IV Hisp. illustr. pag. 81 loquitur, Legionem ecclesiam fieri fecit, cathedramque episcopalem in ea statuit, Attilanum nostrum una cum undecim aliis episcopis solemnitate illi interfuisse; quandoquidem, in edito hac occasione Ordonii II diplomate, non modo, ut Lobera testatur, nulla Attilæ aut Attilani, Zamorensis episcopi, mentio facta est, ut contra, eodem teste, omnino ab Attila vel Attilano diversus, Zamorensis antistes, nimirum Joannes, chartam illam suo chirographo munisse legatur.

5 Quod vero, contra ac laudatus chronographus apud Loberam pag. 366 versa asserit, sub eodem Ordonio rege S. Attilanum translationi reliquiarum S. Froilani non interfuerit, necum ad illam multum ipse contulerit, ex iis, quæ supra de emortuali Legionensis Antistitis anno dicta sunt, manifestissimum fit. Quid? quod sub illo Legionensium rege, cujus obitum anno Christi 923 communiter scriptores illigant, necum natus esset S. Froilanus, ut supra pariter pag. 233 Annot. a

nec sub Alphonso III aut Ordonio II episcopus fuisse,

utpote S. Froilano anno 1006 defuncto, ætate junior ejusque discipulus

A ostensum est. At nec eodem tempore Attilanum nostrum mundo datum fuisse, vel ex eo etiam evincitur, quod is S. Froilano annis aliquot junior et illius in monastica vitæ instituto discipulus ab omnibus passim statuatur. Sed forte subitit animum sciscitari, quo id fundamento fiat. Respondet, hoc quidem cæcorum testimonio exploratum dici non posse; attamen præter traditionis constantis et Breviariorum veterum auctoritatem, quæ id suadeat, non contemnendum exstare documentum, quod illud satis solide stabiliri possit. Joannes Ægidius Zamorensis, excentis sæc. XIII auctor, in *Historia Translationis et Inventionis corporis B. Aldephonsi, seu Ildephonsi, archiepiscopi Toletani, cujus apographum ex authentico Ms. Zamorensi desumptum, nobis anno 1722 communicavit Joannes de Ferreras, quod et in Supplemento Januarii locum suum inveniet, laudatus, inquam, sæc. XIII auctor, narrat num. 3, erepta barbaris Zamora, divinoque cultu in ecclesia dilatato, Zamoram venisse virum quemdam Toletanum, qui Didaco, illius ecclesiæ venerabili præ ceteris clerico sua peccata secreto confessus supernam et calcicam visionem ipsi patefecit, quam his verbis num. 4 recenset: Asseruit namque (vir ille Toletanus) a B. Aldefonso se in virtute deductum fuisse ad ecclesiam prælibatam (de Zamorensi ecclesia S. Petri sermo est) et omnia signa, quæ sibi B. Aldefonsus, Deo juvante, revelaverat, oculis carnalibus conspexisse, et ut argumentis necessariis probaretur, quod divinam revelationem impresserat apici mentis ejus, locum, ubi corpus B. Aldefonsi jacebat reconditum, præstendit; adjiciens, quod ibidem corpus beati Attilani, qui in eadem ecclesia pontificali functus fuerat officio, quiescebat; et ob hoc si locum ipsum effoderentur, B. Aldefonsi corpus sanctissimum invenirent, in altare videlicet, quod eo tempore in ecclesia veteri fuerat in honorem Virginis almilluæ dedicatum, ubi circa ejusdem almilluæ Virginis altare corpus sancti ATILANI pontificis, BEATISSIMI FROILANI SOCI, reconditum esse, dicebat, sicuti revelatio declarabat.*

* effoderent

uti et in episcopatu collega.

6 Jam vero, cum revelationem hanc, quantum ad S. Ildephonsi corpus attinet, non inanem fuisse, teste eodem scriptore, comprobavit eventus; quid, quæso obest, quominus etiam iis, quæ de S. Attilano ex revelatione se didicisse, vir pius asseruit, haberi fides debeat, atque adeo ut non ex sola ecclesiarum Hispaniæ traditione ac Breviariorum auctoritate, sed etiam ex facta divinitus revelatione S. Attilani Froilani socii recte statuatur. Quod si nonnullis severioris supercilii criticis hoc argumentationis genus, quod a facta homini privato revelatione ducitur, minus firmum habeatur, his aliud argumentum oppono, quo id, quod contendo, satis firmari queat. Anno Christi 1260, seu, ut Joannes Ægidius scribit, Aldefonso (X) rege Legionis et Castellæ in regem Romanorum electo, regnante, et venerabili patre domino Sugerio Zamoremensem ecclesiam gubernante, contigisse illam corporis S. Ildephonsi inventionem, Joanni de Ferreras aliisque asserentibus, credi merito potest; factam vero Toletano viro relationem, seu si major ejus de S. Attilano relationem annis plurimis ipsam corporis S. Ildephonsi inventionem præcessisse, satis insinuat laudatus Joannes Ægidius, dum Toletani illius hominis ad Zamoremensem ecclesiam accessum nis innectit temporibus, quibus e Saracenorum manibus erepta Zamora cultusque divinus eate-

nus in ecclesia illa dilatatus erat, ut Officia ecclesiastica rite illic a clericis peragerentur, necdum tamen eisdem stabilis episcopus, utpote cujus Ægidius omnino non meminit, sed venerabilior aliquis e clero præset sacerdos, eaque præditus auctoritate, ut, si rationi congruum existimasset, legitime in S. Ildephonsi conditum sub altari corpus investigare potuisset. Quæ cum ultra annum 1119, seu, ultra de novo instituti Zamorensis episcopatus primordia differri nequeant, consequens est, ut corporis S. Ildephonsi inventionem sesquiseculo saltem præcesserit Toletani illius recensita de SS. Ildephonso et Attelano narratio, contigeritque hæc fortassis haud diu post utcumque instauratam a Ferdinando I rege Zamoram, atque adeo ut non patrum ante sæc. XI exitum per Hispaniam vulgo invaluerit fama illa, quæ Sanctum nostrum S. Froilani socium facit, cui quidem receptæ jam tum opinioni cum se nemo antiquior aut subæqualis scriptor opponat, quid est, quominus illi sat certa fides adjungi queat?

7 At, inquires, si S. Attilanus primum in monastico instituto S. Froilani socius, cum eo deinde anno Christi 990 creatus episcopus sit, eique etiam, ut assignato ad marginem emortuali hujus anno adstruitur, superstes aliquamdiu in vivis fuerit, ut quid, cum S. Froilanus, teste Lobera pag. 114, plus centum et quinquaginta diplomata suo chirographo firmavit, nullis Attilani nomen editis eodem tempore diplomatibus subscriptum legitur? Rem hanc fateor posse sat miram prima fronte videri, neutiquam tamen hinc evinci, contendo, S. Attilanum eodem tempore Zamoremensem cathedram non tenuisse. Etenim, tametsi diplomata, quæ hactenus e tenebris eruta sunt, sancti Antistitis nostri nomen ab anno Christi 990 usque ad 1009 non exhibeant, consequens hinc non est, nullis regis privatisve chartis, quæ forsitan adhuc in tenebris latent, S. Attilanum ad ea tempora subscripsisse. Sed tamen, ne sola hic niti conjectura videamur, sit ita, ut sanctus Antistes noster nullis unquam Veremundi II aut Alphonsi V diplomatibus subscriperit. Eumne tu propterea sub his regibus floruisse, neges? Id si facias, quot non erunt sanctitate inclityi præsules, quorum vitæ epocham, utut aliunde vel scriptorum unanimi consensu vel antiquæ aut supparis traditionis testimonio firmatam, dubiam saltem incertamque tibi esse, pronuntiare per consequens debeas? Et vero, quod ex diplomatum silentio contra admissam aliunde Sanctorum ætatem depromitur argumentum, nemo non videt, quam debile et infirmum sit, ac tum præsertim cum reddi sat solida ratio potest, cur regum diplomata suo chirographo unus alterve antistes non confirmarit.

8 Ut alias, quæ ad rem nostram faciunt, hic prætermittam, hæc ab Ypezio Chron. gener. Ord. S. Bened. Cent. 6 pag. 206 perquam plausibilis ratio suppeditatur, nimirum, quia Legione, quæ regum sedes erat, S. Froilanus degebat, ad eum regis scriba, si qua roboranda episcopali chirographo charta erat, nullo negotio recurrebat, quo hanc sanctus antistes sui adscriptione nominis firmaret. Contra vero cum S. Attilanus ab aula regia abesset, eamque pro viribus fugigaret, mirum non est, nulla ejus chirographo roborata diplomata inveniri. Accedit, inquit, bella frequentia ad Zamoram urbem eo tempore gesta fuisse, sanctumque Attilanum episcopali urbe dudum abfuisse; ut adeo nullis eum diplomatibus regis subscripsisse, intellectu proclive sit. Ita fere Hispano idiomate Ypezius. Ex quibus omnibus

AUCTOR
J. G.tametsi cum suo magistro diplomatibus variis
E

F

subscripsisse non invenitur.

AUCTORE
J. G.

bus iudicet nunc eruditus lector, an ea, quæ nobis hic adversarii objiciunt argumenta, id ponderis habeant, ut a communi scriptorum consensu constantique ecclesiarum Hispaniæ traditione, tametsi revelatione cælitus facta stabilita non esset, propterea recedendum sit. Si autem tali auctoritate hic stare merito liceat, consecrarium est, ut, cum S. Froilanus ab anno Christi 990, sicut supra demonstratum est, ad usque annum 1006 Legionensem cathedram possederit, etiam S. Attilanus, ejus in monastica vita socius et in episcopatu collega, sub sæculi x exitu et subsequentis initium Zamorensem sedem occupasse statuatur.

Fuit episcopus
Zamorenسيس
urbis, quæ
Numantia
nomen ante
annum Chri-
sti 990,

9 Sed ex opposito capite alia eaque implicatio exurgit difficultas, in eo nempe sita, qui fieri possit, ut S. Attilanus, S. Froilani socius, Zamorenسيس episcopus a nobis recte dicatur si quidem, teste Roderico Toletano aliisque multis, non, nisi post integrum a Sancti obitu sæculum, episcopali sede Zamora nobilitata fuerit. Qui a nobis dissentiunt, recensitis num. 2 testimoniis presse insistentes, mirantur posse ambigi, an ante Callistum PP. II seu ante annum Christi 1119 Zamoræ episcopus quisquam sederit; unde et plerique S. Attilanum, tametsi episcopum ante id tempus non difficiant, tamen non Zamorenسيس, sed vel Legionensem, vel Astoricensem vel regionarium fuisse, certissimum autumant; imo eo usque aliqui progrediuntur, ut eum solummodo archidiaconum Astoricensem faciant. Contra vero ex iis, qui a nobis stant, nonnulli, authenticis, ut sibi persuadent, conciliorum Actis veteribusque diocesium Hispaniæ Catalogis inherentes, non tantum sæculo x exeunte, quo S. Attilanus floruit, verum etiam multo ante Maurorum in Hispaniam expeditionem episcopali sede Zamoram nobilitant. Tam sibi contraria, quæ ultro citroque in medium proferuntur testimonia, ut vel rejici vel exponi apte queant, utque hac via nostra stabilietur sententia, nonnulla hic prænotasse ex re erit. Zamoram, quæ, ut Baudrandus scribit, urbs Hispaniæ est in regno Legionis, ad Durium fluvium, episcopalis sub archiepiscopo Compostellano, quæque fere media est inter Salmanticam ad Meridiem et Asturicam ad Septentrionem, multi scriptores Hispani Numantiam illam celebrem esse, aiunt; multi vero negant. Ut sit, illud ad institutum nostrum facit, ac propterea antiquitatis testimonio comprobandum nunc venit, Zamorensi urbi, quacumque demum de causa id factum sit, ante annum Christi 990 Numantiæ nomen fuisse inditum. Testatur id evidentissime Veremundi II, Legionensium regis diploma, in ecclesia Compostellana servatum, ubi hæc disertissima verba leguntur: In civitate Numantia, quæ modo ZAMORA nuncupatur. Cum autem illud diploma 6 Idus Februarii Era (Hispanica) post millenam tertiam et decimam, seu anno Christi 975 editum fuerit, prout tom. IV Hisp. illustr. pag. 354 et tom. X Annal. Eccles. Baronii ad annum Christi 975, num. 7 videre est, cæcus sit, oportet, qui hinc non videat, Zamorensi urbi Numantiæ nomen ante S. Attilani tempora impositum fuisse. Mitto tum diplomatum infra enumerandorum, tum monachi Siloënsis, Lucæ Tudensis aliorumque veterum scriptorum, quæ hanc assertionem nostram abunde comprobent, non minus aperta testimonia, et ad discutienda illa progredior, quibus sententia nostra, quæ ad annum 990 Zamorenسيس episcopum statuit, tam oppugnari, quam propugnari queat.

10 Qui Zamoram sub Numantiæ nomine mul-

tis sæculis ante annum Christi 1119 episcopali sede illustrem faciunt, pro se tanquam Achilæum argumentum adducunt Divisionem terminorum diocesium et parochiarum Hispaniæ, Wambæ regi, sæculo VII in Hispania regnanti, attributam, quam Garzias Loaisa in Collect. Concil. Hisp. pag. 435, Cardinalis Aguirre tom. II Conc. Hisp. a pag. 303 et Harduinus tom. 3 Collect. Conc. col. 376 et seqq. ediderunt, desumptam, ut scribunt, ex libris Mss. ecclesiæ Toletanæ et ecclesiæ Ovetensis, cujus titulus est ITACIUS, in quo Historia Wandalorum et Alanorum in Gallecia, et postea Suevorum et demum Gothorum regum scribitur. Porro in hac diocesium Hispanicarum Partitione non modo Numantia (Zamora postmodum dicta) ut episcopali sede nobilis comparet, sed et idem prorsus, quos nunc Zamorensis diocesis habet, limites ei attribuantur. Ipsa instrumenti hujus verba habet: Numantia hæc teneat: De Peñagodisse usque ad Tormem super illos Balneos: de Valle de Rege usque Dorium: de Villalalle usque Oterum: de Fumus secus Rivulum sicum, usque Breto: de Tavera usque Dorium. His Sedium Hispanicarum Catalogum, qui in Ovetensi codice, literis Gothicis exarato, exstat, ut potentissimam probationem adjungunt, cum in hoc, ut apud laudatos conciliorum collectores pag. 134, 303 et col. 376 ad oculum patet, inter tum subditas Emerite si metropoli episcopales sedes, Numantia et superadito quidem Zamoræ vocabulo, recensetur. Verum enimvero cum adducta jam nunc documenta, tametsi longissimo tempore pro antiquis et genuinis habita, ante medium sæculum XII vel interpolata vel ex integro forsitan confecta fuerint, prout Florezius tom. IV Hisp. Sacræ a pag. 181 argumentis quamplurimis ostendit, ex illis ego tam altam Numantiniæ seu Zamorensis cathedræ antiquitatem neutiquam adstruam, neque aliquorum exemplo, vel ante annum Christi 520 Zamorenses episcopos in medium proferam, quandoquidem ad rem nostram satis est, ut sæculo x Zamorenses episcopos exstitisse ostendamus, sive interim ante Maurorum in Hispaniam adventum Zamora episcopali sede illustrata fuerit, sive dumtaxat postmodum Zamorensibus propriis antistes fuerit concessus.

11 Ex illis tamen mox memoratis instrumentis, utut iudice Florezio, sæculo XII confectis, nonnihil præsidii nostræ opinioni accedit. Etenim si Pelagius, Ovetensis episcopus, uti laudatus Florez tom. IV Hisp. Sacræ pag. 203 et seqq. ostendit, præfata Divisionis diocesium Hispanicarum auctor sit, alterutrum necesse est sequi, ut vel ante vel post aditam Ovetensem cathedram fictioni operam dederit. Si primum; consequens est, nisi eum futurorum exactissimum vatem dixeris, ut certe ante annum Christi 1098, quo, teste Florezio tom. IV Hisp. Sacræ pag. 204, idem Pelagius Ovetensis episcopus consecratus est, Zamorensis seu Numantinus episcopus, cujus expresse ipse illic meminit, erectus fuerit, atque adeo, quod hinc manifeste consecrarium est, ut circa annum Christi 1119 non primus Zamoræ episcopus sub Callisto PP. II fuerit concessus. Si vero post id temporis Pelagium Ovetensem hanc Hispanicarum diocesium Divisionem adornasse velis, non refragabor quidem; at, nisi eum impudentissimum mendacem, nisi impostorem maxime incautum, nisi viros omnes doctissimos, qui hucubrationem illam pro genuina et regis Wambæ temporibus æquali tot sæculis habuerunt, bardos stipitesque

D
et episcopos
secundum
aliquos vel
a sæculo VII

E

ac certe ante
S. Attilanum
habuisse
ostenditur
F

A *stipitesque facias, ecclesiasque Toletanam et Ovetensem, quæ illam diocesium Divisionem in suis tabulariis diligentissime asseruarunt, crassissimæ ignorantie et ineptæ credulitatis arguas, fatearis necesse est, fieri non potuisse, ut Pelagius sub Wamba rege sæculo VII Numantinam seu Zamorensem urbem episcopalem statueret, si urbs illa sub suis oculis circa annum Christi 1149 primo in episcopatum erecta fuisset. Et vero ante hunc sæculi XII annum Zamorenses seu Numantinos antistites fuisse, cum multa sunt, quæ suadent, tum manifestissime evincunt non pauca, quæ Athanasius de Lobera a pag. 362 diplomata adducit, ex quibus ego, illius in perscrutandis instrumentis diligentia et in referendis optima fide, Yepesio centuria VI, pag. 205, col. 2, et Angelo Manrique in Annal. Cisterc. ad annum 1131, cap. 8 etiam valde probata, merito confisus, nonnulla hic recensere, quæ ante annum Christi 990 Numantinorum seu Zamorensem episcoporum chirographum exhibent; ut hinc evidens fiat, S. Attilanum non secus ac decessores suos ante sæculi X exitum defunctos, posse optimo jure inter Zamorenses episcopos recenseri, tametsi Roderici, archiepiscopi Toletani, Loaisæ, Marianæ aliorumque testimonia, quæ infra discutientur, id severissime prohibere videantur.*

ex variis diplomatis et antistitum Zamorensem serie,

B *12 Primum igitur, quo assertio nostra firmissime stabilatur, testimonium sit, quod ab Ordonio II, Legionensium rege datum diploma est, in ecclesiæ Legionensi tabulario, ubi illud suis oculis se vidisse, Lobera pag. 362 testatur, diligenter asseratum, quo diplomate idem rex æra Hispanica 954 seu anno Christi 916 possessiones multas Legionensi ecclesiæ attribuit. Illud autem, eodem Lobera teste, præter Ordonii regis antistitumque Iriensis et Legionensis confirmantium nomina, Joannis, Zamorensem episcopi, subscriptionem expresse exhibet, eandemque, ut laudatus scriptor ibidem asserit, tres alie donationum chartæ, sub annum Christi 916 editæ, spectandam præbent. Ex quibus manifestum fit saltem binis usque completis ante annum Christi 1149 sæculis Zamorensem ecclesiæ episcopalis sedis majestate exornatam fuisse. Ut autem a Joanne illo, quem hujus nominis I Zamorensem episcopum vocare liceat, continua serie ad S. Attilanum perveniat, itaque, quod probandum suscepimus, ex superabundanti evincamus, quinque ab eodem Lobera pag. 363 recensita diplomata suppetunt, quæ, ut hic rursus ostendit, ab anno Christi 920 usque ad 940 Dulcidius, addito Zamorensem episcopi titulo, sui adscriptione nominis cum aliis episcopis roboravit. His adde laudatas a Sandovalio in Descriptione monasterii Sahaguntini fol. 49 verso editas sub annum Christi 960 chartas, in quibus Dominicus, Zamorensem episcopus, comparet, cui proxime successisse putem Joannem, quem hujus nominis II facio. Ut ut id est, ad assertionis nostræ stabilitamentum sufficit, hujus Joannis Zamorensem antistitis nomen ad annum Christi 970 in variis donationum chartis, quas laudatus jam sæpe Lobera, pag. 364 enumerat, exaratum inveniri, atque ita quidem, ut, qui in his Numantinum se episcopum scribit, in illis se Zamorensem appellet, quæ quidem promiscua Numantini et Zamorensem episcopi appellatione etiam abunde confirmatum habes, quod superius num. 9 præmonendum censui. Sed Zamorensem antistitum seriem prosequamur. Joannem II excepisse videtur Salomon vel ante annum Christi 986 vel certe hoc ipso anno, quandoquidem in Vere-*

C *mundi II Legionensium regis diplomate, hoc anno edito, ut Zamorensem antistes inter alios, qui diplomati illi subscripserunt, ipse Salomon compareat, cui sub annum Christi 990 demortuo S. Attilanus proxime successerit, uno die, ut communis scriptorum opinio et traditio fert, cum S. Froilano, suo quondam institutore, episcopali dignitate ornatus.*

13 Ex hac episcoporum Zamorensem serie, quam etiam Gonzalez Davila in suo Theatro ecclesiastico tom. II, pag. 393 et seqq., partim exhibet, atque ex tam multis Legionensium regum diplomatibus, quibus Numantinos seu Zamorenses episcopos subscripsisse ostendimus, satis superque liquet, quam nullo fulmine nitantur adversarii, dum a Zamorensi sede episcopos illos excludunt, quos, ante annum Christi 1149 mortem obiisse constat. Nec quidquam adversariis patrocinatur, quod Bernardus, Zamorensis præsul, anno Christi 1149 defunctus, in epitaphio, quod ei in sacello majore cathedralis ecclesiæ positum est, primus episcopus Zamorensis vocetur, cum hoc ipso epitaphio, si integrum legant, tamquam proprio gladio sese adversarii jugulent; ita enim illud sese habet apud laudatum Davilam pag. 397: Hic jacet Bernardus primus episcopus Zamorensis, de modernis, obiit æra 1187, quibus Hispano idiomate subditur: que es año 1149, quod Latine sonat: qui est annus Christi 1149. Querere nunc fas sit, si ante Bernardum hunc Zamorenses episcopi non existerint, ut quid ergo primus e modernis dicitur? Nonne vel hoc ipso additamento sat clare epitaphium illud innuit, illum, ex quo Zamorensis episcopatus sub annum Christi 1149 de novo erectus seu instauratus fuit, primum quidem episcoporum eorum fuisse, qui non interrupta serie ad hodiernum usque diem deducuntur, non vero absolute, seu illorum omnium primum existisse, qui quovis tempore antiquitus Zamorensi ecclesiæ præfuerunt? Cum vero epitaphium illud nobis adversarii, forte tamen incogitantes, objiciant, illis ego edendum infra S. Attilani epitaphium, Zamoræ ejus sepulcro positum, quod Mabillonio antiquitatem sapere visum est, majore ratione oppono quo manifeste traditur, S. Froilani anno Christi 1006, ut ante docuimus, defuncti, discipulum ac deum Zamorensis ecclesiæ pastorem fuisse, quæ post annum Christi 1149 contigisse, nemo unus dixerit.

14 Reliquum est, ut antequam opposita nobis gravium scriptorum testimonia exponam, alteri adversariorum argumento faciam satis. Si verum est, inquit illi, saltem Zamorenses episcopos ab exitu sæculi X fuisse, ac nominatim S. Attilanum ab anno Christi 990 ad usque 1109 sedem illam tenuisse, ecur non modo Sanctus ille nullis regum Legionensium diplomatibus subscripsisse invenitur, sed neque successorum ejus ad usque annum Christi 1149 ulla in authenticis chartis aliisve monumentis publicis memoria existat? Ad primam hujus quæsitæ partem quod attinet, in illa hypothesi, quod nulla prorsus, quæ S. Attilani nomen præferant, seu privata seu regie chartæ tum temporis editæ, in tenebris etiamnum lateant, difficultas illa hæc omnibus obvia ratione tollitur, nempe quod, ut num. 8 jam docui, vel semper vel certe ut plurimum, ab aula regia regisque comitatu Sanctus abfuerit, adunando, siquomodo posset, calamitatibus disperso gregi eivo consolando unico intentus, ut proin-

AUCTORE
J. G.

quibus nihil obest, quod nobis objicitur, Bernardi Zamorensis epitaphium,

F

F

neque nocet diplomatum de S. Attilano ejusque successoribus silentium,

mirum

AUCTORE
J. G.

mirum videri non debeat, sinulla regum suorum diplomata sui nominis adscriptione ipse confirmasset. Quod vero ad ejus successores spectat, quorum nullam unius seculi decursu exstare memoriam, adversarii contendunt; Respondeo, id rotunde negari posse, quandoquidem, teste Davila, supra laudato, pag. 396, Gomesanus, Zamorensis episcopus, anno 1042, 16 Februarii Ferdinandi I, Castellæ et Legionis regis, diploma subsignasse reperitur. At fac tantisper, quod tamen probatum iri non arbitror, hallucinatum in eo Davilam fuisse; num propterea, quia post iteratam sub sæculi x finem Zamoræ vastationem Attilani successorum nulla subsequente sæculo memoria in instrumentis publicis servata est, non modo sæculo xi nullos omnino episcopos Zamorenses fuisse adstrues, sed et ante urbis vastitatem Zamoræ episcopalem cathedram merito eripiendam credes? Qua Dialecticæ regula hoc sequatur, fateor, me prorsus ignorare, sed nec quemquam æquum judicem fore existimo, qui tam debili adversariorum argumento applaudit. Non dissimulandum tamen Zamorensis ecclesiæ, postquam hanc calamitosa tempestate admissam deinde summo labore administratam suo obitu Attilanus afflictissimam fecisset, tam luctuosam fuisse faciem videri, ut sat dudum vir aut ne vir unus episcopalem illius sedem exspectaret, aut ultro oblatam non delectaret, ut fortassis Zamorensium episcoporum series propterea sæculo xi subinde vel forte plurimum interrupta fuerit, illiusque diocesis cura plus semel vicino Astoricensi episcopo demandata interim sit, donec Zamora e ruinis suis emergere ac tandem postulante Alphonso VIII, Hispaniarum imperatore passim dicto, a Callisto PP. II sub annum Christi 1119, ut Loaisa alique scribunt, in episcopatum erigi seu potius pristinae dignitati restitui cœperit.

sed nec Roderici Toletani verba, tametsi contra nos facere videntur,

15 Dum igitur Rodericus, archiepiscopus Toletanus, lib. 6 de Rebus Hisp. cap. 27 asserit, ante Hieronymum Petragoricensem, num. 2 memoratum, Zamoræ nondum fuisse nec episcopum nec ecclesiam cathedralem, non de rerum Zamorensium statu, qualis sæculo x aut præcedenti tempore fuit, sed de illius ecclesiæ statu, qualis xi sæculi initio erat, exponi potest, ut sensus sit, cum Hieronymus ille, Valentinus in Hispania episcopus, amissa sua civitate, episcopalia munia Zamoræ exercere aggressus est, Zamorenses urbem post denuo illatam exeunte sæculo x vastitatem, sub ea adhuc tempora partim ruinis suis involutam jacuisse, ut aliarum diocesium instar nec proprium seu illic ascidue commorantem episcopum, stabilemve demortui successorem haberet, nec cathedralis ecclesiæ, in qua pro dignitate episcopus sederet, exædificata seu instaurata esset. Cum vero laudatus Rodericus mox subdit, Bernardum præfato Hieronymo succedentem, fuisse primum proprium episcopum Zamorensis, non alio modo, quam quo Bernardi illius epitaphium num. 13 intelligendum est, etiam exponi posse videtur, ea videlicet significatione; ut Hieronymo, qui Valentina civitate exultus, Zamorensis episcopi vices egerat, e vivis erepto, Bernardus ille post instauratam Zamorensis ecclesiæ, primus e modernis episcopis, propriam illius sedem titulumque Zamorensis episcopi ad mortem usque gesserit, a quo Zamorenses et re et nomine antistites ad Roderici usque tempora non interrupto ordine deducebantur. Haud ita absimili modo Urbanus PP. II apud

Baronium in Annal. Eccles. ad annum Christi 1088, num 42 Bernardum, archiepiscopum Toletanum ac primatem supra memoratum, primum illius urbis (Toletanæ) præselem compellat, primum videlicet a Saracenorum e Toletano expulsiōne, non vero omnium primum, qui quorvis tempore Toletanæ ecclesiæ antistites præfuerunt. Quod si hanc verborum Roderici explanationem admittere ut nativam ac primigeniam nolis, non repugnabo magnopere; at non propterea allegata scriptoris, S. Attilano non synchroni, verba hoc apud me efficiant, ut rejecta diplomatum num. 42 adductorum et Martyrologii Romani infra laudandi auctoritate, ipsi me clausis oculis dedam, et Zamorensis seu Numantini episcopatum, quem monumenta antiqua plurimique scriptores saltem sæculo x exstitisse prohibent, non prius quam xii sæculo aliquantum progresso institutum fuisse, ex ipsius testimonio admittam.

16 Nobis quidem, etiam Joannem Vasæum, scriptorem Roderico multo recentiorem, in suo Chronico Hispaniæ tom. I Hisp. illustr. pag. 630 expresse asserere, episcopum Numantini numquam fuisse. At hic scriptor alium non vult, quam celeberrimæ illi Romanorum tempore Numantie numquam episcopum fuisse datum, quandoquidem, ut ipse mox subdit: Numantia (antiqua illa nempe) multo ante salutarem Christi natalem diruta, nullo post tempore fuit instaurata: qua de re disputare hujus loci non est. Quam vero laudatus Vasæus alienus a nostra opinione non sit, ipsa ejus verba tom. cit. cap. 21 satis ostendunt. Ita hæc se habent: Zamorensis an alicui (antiquo episcopatu extincto vel translato) successerit, in tanta rei antiquitate non est interpretatu facile. Sunt tamen, qui affirmant de novo institutum (seu restauratum) episcopatum, potente Alfonso Hispaniarum imperatore, a Calixto secundo, Romano Pontifice, circa annum Domini 1119, Pontificatus Calixti anno primo, eaque de re exstare instrumenta Pontificia et imperatoria in archivis illius ecclesiæ. Primum vero (post de novo institutum episcopatum) Zamorensis episcopum fuisse quemdam Bernardum Toletanum canonicum (hunc Joannes Mariana archidiaconum vocat) qui obiit anno Domini 1119. Hactenus Vasæus, in medio quidem relinquens, an Zamorensis civitas alterius extincti aut translati episcopatus sedem exceperit, minime tamen Zamoræ sæculo x Numantiæ nomen eripiens, nec eodem sæculo proprios ejus exstitisse episcopos negans; quin contra cum ab iis dissentire non videatur, qui ex instrumentis Pontificiis et imperatoriis Zamorensis episcopatum de novo sub Callisto II institutum seu innovatum asserunt, episcopatum hunc multo antiquiorem sæculo xii nobiscum facere censeri potest.

17 Consentit nobis laudatus supra scriptor eruditus, R. P. M. Florezius, tom. IV Hispaniæ Sacre pag. 243, dum Zamorensis episcopatum post Maurorum sæculo viii in Hispaniam irruptionem erectum fatetur, et interrupta ob devastatam urbem episcoporum serie, Callisti II temporibus sub annum 1119, ut Loaisa tradit, instauratum seu de novo institutum scribit. Ceterum, cum memorata jam mox instrumenta Pontificia et imperatoria ex quibus cathedræ Zamorensis iterato constituta annum alique adjuncta verosimiliter discere liceret, vel numquam typis edita fuerint, vel certe ad nos non pervenerint, dubium mihi manet, an Za-

nedum ex recentioribus Vasæus, qui potius una cum aliis

F

et nominatim cum Florezio nobis favet.

no

A *morensis sedis instauratio Callisto PP. II, an potius Paschali II, Callisti decessori, adscribenda sit, quandoquidem anno Christi 1115, quo Callistus II necdum Petri cathedram ascenderat, jam tum Bernardus Zamorensis episcopus fuerit, eoque nomine Ovetensi concilio apud Aguirre tom. III Concil. pag. 327 una cum 14 aliis Hispaniæ præsulibus subscripserit. Ut tamen hæc sese habeant, nihil, uti ex jam disputatis liquet, impedimento est, quominus S. Attilanus, quem ab ætate S. Froilani dimoveri non posse docuimus, ab anno Christi 990 Zamorensis antistes a nobis recte constituitur; ex quo consecrarium etiam est, cum anno 19 episcopatus sui ad immortalem vitam, ut communis opinio tenet, sanctus Antistes transierit, ut ejus obitus, tametsi De Ferreras ad A. C. 1024 contrarium teneat, A. C. 1009 innecti debeat.*

Variorum auctorum

18 Nunc, quæ ad episcopi nostri in Sanctorum album relationem ejusque Ecclesiasticum cultum attinent, discutere aggredior. Sunt nonnulli scriptores, a Tamayo Salazar ad hunc diem pag. 422 relati, qui S. Attilanum ab Urbano PP. I Cælitum albo solemniter ritu adscriptum tradunt, sed hos ætatis S. Attilani et chronologiæ Pontificiæ vel ignaros, vel inmemores fuisse, vel certe turpiter aberrasse, tam est evidens, quam sit indubitatum, Urbanum I seculo III Romanum Pontificatum tenuisse, nec proin octingentis fere ante Sancti nostri obitum annis potuisse Cælitum illi honores decernere, nedum id solemniter aliquo canonizationis ritu præstare, quem sæculo III minime usitatum fuisse, periti omnes apprime norunt. Paulo rectius Sanctum nostrum seculo XI inter Cælitæ adscriptum, Lucius Marineus Siculus tom. I Hisp. illustr. pag. 341 et ex eo Laurentius Surius ad hunc diem scribunt; at ambo non immunes ab omni errore sunt, dum id ab Urbano II ad annum 1002 effectum volunt, cum tamen, ut constans ac certa antiquorum recentiumque sententia tenet, anno dumtaxat 1088 Urbanus II Pontificatum adierit, quem beato e vivis excessu post multa præclare feliciterque gesta anno 1099, 29 Julii deposuit. Porro ab hoc Pontifice in Sanctorum catalogum relatum fuisse Antistitem nostrum, testatur Martyrologium Romanum ad hunc diem, nec unum novi auctorem, præter supra confutatos, qui id in dubium vocet.

ac præsertim Benedicti XIV de canonizatione

C 19 At quo Pontificatus sui anno, quæve in urbe id ab Urbano II effectum est? Hæc ego monumentorum, quæ hoc referant, defectu definire non ausim. Asserit quidem eruditissimus Cardinalis, Prosper de Lambertinis, postmodum Benedictus PP. XIV, lib. 1 de Servorum Dei Beatificat. etc., cap. 8 num. 12, teste... Puricello lib. IV, cap. 81, Urbanum II in civitate Mediolanensi inter sanctos Martyres (anno Christi 1095 vel 1096) retulisse Herlebardum, et inter sanctos Confessores Attilanum, Zamorensem seu Legionensem episcopum, uti etiam legitur in Martyrologio Romano ad diem 3 Octobris, et latius prosequitur Pagi in Vita S. Urbani: verum, quod salva eruditissimi scriptoris auctoritate dictum sit, nec Puricellus cit. cap., nec cap. 79, ubi de S. Herlebarði canonizatione ex professo tractat, vel verbo uno, ut cuilibet ejus Opus anno 1657 editum, consulenti manifestum fiet, de S. Attilani in Sanctorum numerum adscriptione mentionem fecit; neque Franciscus Pagi pag. 521 Breviarii Historico-chronologico-critici Pontificum Romanorum, auctorem unum antiquum producit, qui aut locum aut annum relati inter Cæ-

lites Attilani exprimat, tametsi canonizationem illam Urbano II non abjudicet. Nihil igitur nobis inde suppetit, ut sanctum Præsulem nostrum anno 1095 vel 1096 Mediolani inter Sanctos solemniter ritu adscriptum fuisse, sat tuto affirmemus.

AUCTORE J. G.

20 Nihil plus lucis nobis in hanc rem suppetit B. Urbani II Vita, a Ruinartio scripta, quam habes inter ejus et Mabillonii Opera posthuma, neque Codex Canonizationum, a Justo Fontanino editus, in quo quidem Apostolicæ Urbani II litteræ, anno 1099 in Romana synodo datæ, de peragenda ex forma commissaria, ut vocant, B. Nicolai Peregrini canonizatione pag. 9 exhibentur; at nihil prorsus de S. Attilano, eodem fortassis tempore eademque forma inter Superos adscripto, illic commemoratum inveni. Quas ergo Galesinius Apostolicas Urbani II litteras ad comprobendam Præsulis nostri sanctitatem in suis ad Martyrologium Notationibus citat, ipsi etiam Fontanino non præluxisse oportet, nec, ubi hæc reperiri queant, quisquam edocuit. Nihilominus, tametsi et annus et locus, quo Sancti canonizatio peracta fuit, exploratus hactenus dici nequeat; tamen quin hæc ab Urbano II in magna aliqua synodo pro more illius temporis facta sit, ac proin vix non inter primas solemniores computanda sit canonizationes, dubitari merito non potest, cum Martyrologii Romani annuntiatio hanc illi Pontifici disertis verbis adscribat, eamque unanimis scriptorum eruditorum auctoritas confirmet. Ceterum quid laudatum Benedictum XIV moverit, ut Sanctum nostrum Zamorensem seu Legionensem episcopum vocaret, omnino me lalet; neque etiam video, quo pacto, salva antiquiorum auctoritate, hæc ejus verba eaponi possint.

S. Attilani ejusdemque

21 Si enim hic auctor Attilanum nostrum Zamorensi simul et Legionensi ecclesiæ præfuisse, asserere voluit, non modo diplomata sat multa, sed et plerosque auctores eruditissimos sibi reclamantes habet, quippe quorum testimonio, non S. Attilanum, sed S. Froilanum ab anno 990 usque ad 1006 Legionensem sedem occupasse, certum evadit; cui accedit, quod nulla monumenta aut veterum testimonia perhibeant, S. Attilanum sui magistri in Legionensi cathedra successorem fuisse aut episcopatum hunc Zamorensis episcopi curæ unquam fuisse demandatum. Si vero sensu, ut aiunt, disjunctivo locutus fuerit supra laudatus scriptor, ita ut S. Attilanum vel Zamorensis vel Legionensis ecclesiæ episcopatum gessisse, significatum voluerit, relinquens interim in medio, utram ex his sedibus determinate occupavit, non apparet, quid ei de recta Martyrologii Romani annuntiatione movere dubium potuerit, nisi forte Baronii ad annum Christi 1027, num. 14 a vero aberrantis auctoritas, dum S. Froilanum, luxato etiam hujus nomine, presbyterum dumtaxat, et hic S. Attilanum Legionensem episcopum eo tempore statuit, quo ille e vivis certo excesserat, et hic tandiu superstes fuisse vix credi potest; cui adde, quod nec ab Egidio Davila, nec ab ullo erudito Legionensis ecclesiæ historiographo aliove scriptore sat antiquo inter Legionenses præsules S. Attilanus computeletur. Quapropter, cum nulla proferantur documenta, quæ Sanctum antistitem nostrum Legionensi ecclesiæ præfuisse ostendant, standum reor antiqua traditione et Mrl. Romani annuntiatione, quæ cum Zamorensem dumtaxat episcopum statuunt.

episcopatus dicta expendantur.

22 Reliqua, quæ ad Ecclesiasticum Sancti cultum faciunt, præter illa, quæ in Actis et Annontatis commemoranda erunt, lubet hic recensere. Romanum

AUCTORE
J. G.
Specti in
Mrl. memo-
ria et cultus,
caput ejus
Toletum

Romanum Martyrologium die 5 Octobris eum his verbis annuntiat: Eodem die sancti Attiliani, episcopi Zamorensis, quem Urbanus secundus in Sanctorum numerum retulit; reperiturque hæc annuntiatio in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quod Romano, a Benedicto PP. XIV aucto et castigato, subjicitur. Consentiant Molanus, Galesinius, Wion, Menardus et Bucelinus. Hic tamen in eo ab aliis discrepat, quod deinde ex uno S. Attiliano, ab Urbano II in Cælitum numerum relato, duos Benedictini Ordinis alumnos, duos Morerolensis canobii Priores, duos Zamorenses episcopos, duos denique Attilianos comminiscatur, sibi in omnibus similes, nisi quod unus, ut ipsi placet, anno Christi 820, alter anno 1006 ad immortalem vitam migraverit. Nos unum eundemque S. Attilianum credimus, quem S. Froilani socium ac sæculo x exevante coepiscopum existisse, supra ostendimus. Sed Sancti cultum prosequamur. Ejus Officium ecclesiasticum commune fuisse Zamorensi, Compostellanæ, Salmantinæ, Legionensi, Turiasonensi, Burgensi aliisque Hispaniæ diocesisibus, teste Tamayo Salazar ad hunc diem pag. 448, ex harum ecclesiarum Breviariis manifestum est. His nominatim addo Toletanæ ecclesiæ Officia Propria, de quibus Eminentissimus Cardinalis de Lambertinis lib. iv de Servorum Dei Beatific. etc. parte II, cap. 6, num. 4 loquitur: Inter Officia propria Sanctorum Toletanæ ecclesiæ et diocesis, edita Antverpiæ anno 1691 et signanter in Calendario proprio festorum prædictorum Sanctorum a summis Pontificibus approbato, die 9 Februarii in ecclesia matrice recitari videmus Officium S. Reinoldi martyris, die 11 Februarii Officium S. Aldegundæ, die 5 Octobris Officium S. Attiliani episcopi et confessoris... quia in eadem ecclesia matrice asservantur insignes reliquiæ prædictorum Sanctorum. De priorum reliquiis quia actum apud nos suo loco est, de S. Attiliani vero corpore quia in ipsis Actis sermo recurrit, ea hic de sacris ejus exuviis commemorabo, quorum nulla in Actis mentio fit.

e Zamorensi ecclesia a quodam sacrista delatum, aliæque ejus reliquiæ Zamorenses recensentur.

23 De his Yepesius in Chron. generali Ord. S. Benedicti Cent. 6, pag. 205 verbis Hispanicis, ut ante, a me Latine redditis, ita loquitur: Fautentur indigenæ (Zamorenses) corpori S. Attiliani (olim in Zamorensi S. Petri ecclesia deposito) caput deesse, propterea quod sacrista quidam ecclesiæ S. Petri ratus, se de Toletana ecclesia optime meriturum, si partem aliquam insignem corporis S. Ildephonsi ei impertiret, sacrum aliquod caput abstulit, quod re ipsa non S. Ildephonsi, sed S. Attiliani erat, ita disponente Deo, ut in tam inclytis urbibus honori et venerationi foret. Eodem Yepesio teste, præter Sancti corpus, quod Zamorani servant, plurimi etiam faciunt suppellectilem aliquam, qua Sanctus usus est, puta episcopali annulo, baculo aliisque hujusmodi rebus, quæ ejus memoriam renovare natæ sunt, additque laudatus scriptor, ipsam hospitalem domum, in qua Sanctus a peregrinatione redux diversatus est, etiam in honore esse, ibique depictam cerni admirabilis peregrinationis ejus, infra in Actis recensenda, historiam; subdit domum, ad locum hunc, quem solitarii incolunt, festis præcipuis solemnibus supplicantium agmine Zamorenses ire solitos esse, ubi vel ab episcopo vel ab alio præcipuo sacerdote sacrum Missæ Sacrificium celebratur et e suggestu verba ad populum fiunt. Ex quibus, quanta veneratio S. Attiliani reliquiis impendatur, pronum est cognoscere.

Ceterum unde delati Toletum capitis S. Attiliani D historiam hauserit Yepesius, nusquam ipse edicit, nec proin decidi facile potest, an illi potior, quam Manriquio, ad annum Christi 1131 cap. 8 integrum Attiliani corpus Zamoræ servari affirmanti, habenda fides sit. Id tamen ex memoratis eruditissimi Pontificis Benedicti XIV verbis mihi indubitatum fit, aliquas, easque insignes, Sancti nostri reliquias Toleti asservari, ob quas recitandi ejus ecclesiasticum Officium Toletanæ ecclesiæ facultas concessa sit, tametsi, quænam hæ sint, documentorum penuria edocere nequeam.

24 Reliquum est, ut de Actorum S. Attiliani Acta qualia et cur hic edantur. jam nunc edendorum auctoritate nonnulla disseram. Ac primo quidem, quæ in superiori Commentario pag. 232, num. 13 de S. Froilani Actis dicta sunt, hic pro insertis haberi postulo; nec enim illis certior quam his adjungenda in omnibus fides est, cum omnia, quæ illic referuntur, ex synchronis supparibus scriptoribus aut documentis hausta esse, nullo ex capite constet. Quia tamen Acta illa non tam Tamayi, cujus sæpe in antiquioribus fides nutat, quam traditionis non contemnendæ et sat veterum Breviariorum auctoritate niuntur, inter quæ, si Athanasio de Lobera pag. 229, num. 4 laudato credimus, nonnulla vix uno sæculo a SS. Froilani et Attiliani obitu remota sunt, visum est Acta illa, quandoquidem primigenia nobis inviderit antiquorum temporum iniquitas, adjectis Annotatis nostris, hic recudere, ut lectori rerum S. Attiliani curioso sic fiat satis. En igitur illa, prout ex plurimis Legendariis, præsertim tamen Zamorensi, variisque scriptoribus a Tamayo edita sunt, quibus quod notari meretur, eruditissimus Mabillonius Sac. Bened. vi, parte 1, pagg. 82 et 83, Yepesius in Chron. Bened. Cent. vi ad annum Christi 985, et Athanasius de Lobera in Vita S. Attiliani quantum ad substantiam consentiunt.

ACTA

Ex Breviariis variis etiam
vetustis collecta tom. v F
Martyrologii Hispani a
pag. 418.

Saluberrimum siquidem est gesta * cognoscere, tum ut eorum memoria, multis semper recensita laudibus, in perpetuum eluceat; tum etiam et maxime, ut illorum opera nobis documenta sint, et sancte vivendi iter ostendant. Et quamvis Sanctos omnes venerari jubeamur, eos tamen celebriori laude decet extollere, quibus peculiari quadam devotione et charitate præcipue devincti sumus. Hinc est, ut sanctissimi patris et præsulis nostri Attiliani laudes et gesta nos Zamorani prosequamur officio singulari, quem apud omnipotentem Deum patronum egregium et præcipuum advocatum semper habemus, cui Pastori optimo nos, ut oves propriæ quondam custodiendæ, commissi sumus a.

2 Hujus parentes, qui urbem Tarazonam b Hispaniæ incolebant, cujus et erant nobiles cives, cum prolis habendæ percupidi essent, mul-

Acta qualia et cur hic edantur.

E

Cur Sanctorum gesta conscribantur.
* supple Sanctorum

a S. Attiliani parentum vota, illius nativitas, institutio et monastica vita.
b

A tis et assiduis orationibus, jejuniis, oblationibus et elemosynis sibi a Deo largiendam postulabant. Quorum vota Deus exaudire dignatus, juxta eorum desiderium filium conferre decrevit. Hinc cœlesti revelatione mater monita dicitur, quæ protinus gravida effecta est, et filium Dei servitio mancipare promisit *c*. Tempore itaque constituto, eis desideratum contulit filium, quem ATTILANUM vocatum, ab infantia sanctis et bonis moribus imbuerunt. Humanarum atque sacrarum litterarum studiis traditus, in diebus paucis mirum in modum profecit. Cum vero annum quintum-decimum ageret, in monasterio, urbi Tarazonæ proximo *d*, ubi parentes ejus incolebant *e*, monachalem habitum sumpsit. Hic autem aliquot annos *f* singulari omnium virtutum speciminē et monasticæ disciplinæ observantia vixit, donec, sancti abbatis Froilani *g* audita fama, ei adherere, vitamque cum illo agere decrevit.

Sanctus se comitem S. Froilano adjungit et monachis Prior præficitur;

h
i
k
l
m
n
o
* Inde
p
q
creatur episcopus Zamorenensis et dein peregrinationem instituit;
r
s
t

B 3 Qui, obtemperans abbatis sui facultati *h* et fratribus vale dicto, gressus suos ad locum, ubi S. Froilanus delitescerat, perrexit, cujus comes factus aliquantulum cum eo vixit, quo usque hominum auras vitare et publica fugere loca decernentes, solitariae vitæ habitaculum quærentes aptum, ad montem Cuturrinum *i* accesserunt. ubi unusquisque sibi ædiculam construxit *k*. Sed cum eorum fama celebris protinus per totam pervolaret regionem, ad eos audiendos populorum frequentia confluebat. Hinc multorum precibus flagitati, ad oppidum Vesum *l* descendentes, plures accolæ et aliarum regionum turbas alimentis spiritualibus et corporalibus refecerunt. Nam constructo monasterio ibidem, divino favente auxilio, illico trecentis monachis congregatis *m*, B. Attilanus eorum Prior adsignatus est. Tunc temporis, cum res Christianitatis in periculo conspicerentur, frequentibus Saracenorum victoriis *n*, ita ut continuo, peccatis nostrorum exigentibus, alterum timeretur excidium, Froilani abbas et Attilani Prioris virtutes et prodigia ad Legionensium regem *o* devenere, qui, eorum sanctitatem exaudiens, ad se ut venirent, rogavit. Adfuit Froilanus, cui rex regni statum, Agarenorum insolentias et temporum angustias propalavit. Ast Abbas sanctissimus regi et proceribus iram Dei propter eorum et populi peccamina, et, quid faciendum, ut Numinis misericordiam promererent, prædixit. Quo * in monasterium reversus, et copiosa pecunia donatus, Taborense *p* cœnobium construxit et postmodum Morerolense *q*, ubi cum Priore Attilano aliquantulum vixit.

4 Et cum eo tempore ecclesiæ urbis Zamorenensis et Legionensis præsulibus orbatæ essent, horum Sanctorum fama rex, clerus et populus allecti, Attilanum Zamoræ, Froilanium Legionis pontifices elegere et in die Pentecostes *r* solemniter consecraverunt. Attilanus itaque in cathedra sublimatus, protinus templa, populos sibi commissos et clerum mira solertia regere *s* cœpit ac per decennium continuus pertulit oratione frequenti labores. Sed cum suæ juventutis aliquarum imperfectionum recordaretur, pœnitentiam agere instituit et peregre proficisci abesseque pœnitens decrevit *t*. Quod ut absque nota perficeret, causas rationemque abundi suis fideliter demonstravit, quibus redditus episcopatus pauperibus dari præcepit, si aliter vero fieret, Octobris Tomus III.

Deum testabatur, qui eos æterno supplicio damnaret. Jamque discessum parabat, cum, ecce, cuncti cives, uno pectore et ore clamantes, dicebant: « Ne oves Pastor deseras, te, quomodo cumque ieris, sequemur. » At beatissimus Præsul, eis benedicens, futurum reditum brevi promisit. Jamjamque itinerans, dum urbis portem, qui juxta divi Laurentii templum est, pertransiret, annulum pontificalem ex digito extrahens, hisce verbis in flumen dejecit: « Quando te revidero, omnium delictorum meorum veniæ certus ero u. » Inde cum uno familiari comitatus iter arripuit. Quo post aliquot dies clam relicto, mutato habitu, sub paupere veste, solus mendicans, loca sancta visens, biennium peregrinavit.

EX BREVIARIIS

u

5 Post hæc autem vocem cœlitis emissam audivit, sibi dicentem: « Attilane, propera visere episcopatum: exaudita namque sunt preces tuæ x. » Quo audito jam vesperascente die, cum tenebris exortis Zamoræ appropinquaret, ad S. Vincentii de Cornu parvam ædiculam, sancto Sepulcro vicinam *y*, anhelus et defessus divertit. Eum heremicolæ vir atque uxor recipiens *, tenui cœna præstita refecerunt. Qui sequenti die lucescente, in palatium episcopale pro sportula petenda (ut consueverant) profecti, Attilanum sibi in domo sua quiescentem et custodem reliquere. Quibus cum pisciculi pro eleemosyna largirentur, sui Hospitis memores pro eo etiam portionem postulant. Quibus unus magnus piscis datur pro illis tribus, reliquis exiguis pisciculis dimissis. Qui, ad ædiculam reversi, grandem illum piscem Attilano exenterandum tradunt, dum ipsi pro aqua et igne quaerendis eunt. Tunc vero sanctus Præsul dum illius piscis lactes evolveret, intra illius uterum annulum pontificalem, quondam in fluvio dejectum, reperit *z*. Tunc genibus flexis, manibusque in cœlum levatis, Deo ingentes gratias agens, dixit: « Benedictus Dominus, Deus Israël, qui visitavit et fecit redemptionem servi sui. Magnificent misericordiam tuam omnes, qui noverunt te, qui tempore opportuno ostendis miserationes tuas, et famulos tuos extollis et exaltas. Quando, Domine, me ruit anima mea videre munificentias tuas et quando consequi opem in medio tribulationis meæ: benedictus in æternum, Domine, qui facis mirabilia magna solus et timentes te glorificas et glorificantes te, das * illis escam » tempore opportuno. Quis sum ego, Domine, » ut misericordias, quas hodie dextera tua mihi præmisit, indignus homunculus promererem. »

ad suam sedem recerti jussum annulum pontificalem miro modo reperit x y

E * recipientes

z

* forte dans

6 Quibus dictis, continuo totius urbis campana, nullo pulsante, sonitum ex se dedere *aa*. Quod miraculum videntes universi cives stupentesque, hospitia et ecclesias perquirunt; et cum nihil certum invenirent, dispensator episcopi illius pauperis recordatur, pro quo eremicolæ eleemosynam petierant. Quo audito, civitas universa ad ædiculam illam propere confluit. Quibus Attilanus etsi veste dirupta, sacco atque centone ante indutus erat, tamen statim, mirabile visu, cœlesti ac pretioso cultu pontificali ornatus, civibus ad se quaesitum obviam venientibus egreditur *bb*. Quod cuncti videntes admirati Pontifici gratulantur et cum grandi gaudio et pompa eum in urbem deducunt. Ubi sancte atque pie vivens post septennium *cc* in Domino obdormivit die 3 mensis Octobris anno Domini

et non sine prodigio Zamora recertus, ibidem postea moritur.

aa

bb

cc

EX BREVIARIIS
dd

mini 4009, ætatis suæ 70, pontificatus 19 dd. Cujus corpus lachrymis omnium tumulatum, ad ejus sepulcrum hoc insculpsit epitaphium devotio.

Ejus epitaphium

7 Continet hæc fossa Attilani præsulis ossa, Quem Zamora diu est venerata decora. Iste sub abbatis Froilani nomine gratis Dum monachus vivitque, Prioris munus obivit.

Denique Pastoris baculo exaltatus honoris, Omnibus ornatus virtutibus iste Beatus Et populum rexit; nec juris symbola flexit.

Pauperibus factus pater, cognomina nactus

Est pia, pupillisque magister factus et illis Distribuens panes: reprimebat robore canes Omnibus in locis elegantis fulmine vocis.

Et viduis tutamen erat, nam pectora Flamen Imbuerat tantis dogmatibus incluta sanctis, Vixerit ut Præsul charismate plenus: et exul

(Ut fieretque Deo gratus) funesta reatus Antiquæ vitæ plorans peccamina tritæ

B Transegit binos annos; ac denique humanas Convertens gressus, cælesti voceque pressus,

Amplectensque bonos, quos mittunt cymbala sonos,

Urbem concedit, Sanctusque ad munera reddit

Pastoris grata. Hinc conscendens astra beata Nobis in hac fossa et vota obseravit et ossa ee.

ee
et canonizatio
per Urbanum
PP. II.

8 Hinc cum pluribus clareret miraculis et Deus assiduus ejus sepulcrum honoraret prodigiis, quibus Hispania tota invisebatur impleta

ff. Urbanus II, Pontifex maximus, sanctum Præsulem inter Sanctorum numerum adscripsit anno Domini 1089 vel circiter gg. Cujus sacra pignora in ecclesia S. Petri, quæ tunc cathedralis erat hh, honorifice elevata et in ara majori reposita, intra argenteam arcam inclusa aliquando permansere, donec, ibidem invento copore ii S. Ildephonsi, præsulis Toletani, quod Christiani Toletani in illa ecclesia reconditum in Hispaniæ excidio reliquerant, illud juxta

S. Attiliani sacras exuvias simili argentea theca supra arcum loco majoris aræ, ferrea crate custoditum et septem kk clavibus obseratum, repositum visitur. Quorum Deus meritis Sanctorum huc usque mirabilia facit hominibus, opem illorum implorantibus et fide plena ad eorum sepulturas concurrentibus, ut innumera ad parietes templi pendentia testantur spolia, præstante D. N. Jesu Christo, qui cum Patre et S. Spiritu regnat in sæcula. Amen.

C.

kk

ANNOTATA.

a Præfationem hanc ex Zamorensi Legendario depromptam a Tamayo fuisse, ipsa res loquitur. At quanta Zamorensis codicis hujus antiquitatis sit, Tamayus silet; nec quidquam mihi suppetit, unde hæc ostendi possit.

b Tarazona, quæ Baudrando Turiaso est, ita ab hoc describitur: Urbs Celtiberorum in Hispania Tarraconensi Ptolemæo et Antonino, quæ TURIASO Plinio, nunc TARAÇONA urbs Hispaniæ in Aragoniæ regno, episcopalis sub archiepiscopo Cæsaraugustano, ad fluvium QUEIOS dictum,

... sita est prope montem Caunum, in limite D Castellæ Veteris, 4 leucis a Tabela distans in Occasum hybernum Soriam versus 8, a Bilbili 10, in Septentrionem Calagurim versus. In hac autem urbe ex nobili stemmate natum fuisse S. Attilanum, asserentibus Breviariis et, quotquot de ejus gestis scripserunt, auctoribus, cum nihil aliunde obstet, credi merito potest.

c Eadem hæc Athanasius de Lobera pag. 580 versa tradit, Zamorense Breviarium, uti et Lectionarium narrationis suæ testes adducens.

d Hoc Benedictini Ordinis monasterium una leuca Turiasone dissitum fuit, ut censent Lobera pag. 384 et Ypezius. Hodiedum, inquit hic Hispano idiomate Centuria 6, pag. 203, illius ruinæ visuntur, exstatque etiamnum ecclesia, quæ a S. Benedicto nomen servat, vicinusque campus MONASTERII CAMPUS appellatur atque in adjacente loco, LOS FATOS dicto, S. Benedicti obitus et translationis festa recoluntur.

e Prope illud monasterium non habitasse, sed pietatis ac devotionis gratia nonnumquam eo S. Attiliani parentes accessisse, scribit Lobera pag. 383 versa. Id ipsum forte sub obscuris Actorum verbis hic indicatur.

f Lobera, jam sapius laudatus, pag. 384 versa tradit, S. Attilanum ad decennium hic degisse; at dicti sui eadem aut testem non producit.

g Vide de eo hic pag. 233 et seq.

h In Legionensi præsertim regno non inusitatum fuisse, ut cœnobitæ Benedictini, petita abbatibus sui facultate, anachoreticam vitam, dimissa cœnobitica, ducerent, Ypezius Centuria 6, pag. 200 docet, variisque alibi relatis exemplis demonstrat.

i Vide Annotata ad Acta S. Froilani lit. h.

k Adi Acta S. Froilani num. 3.

l Eadem hæc referuntur in Actis S. Froilani num. 3 et lit. k.

m Consule Acta S. Froilani num. 4.

n Vide Annotata in Acta ejusdem Sancti lit. l.

o Nempe Ramirum III, de quo adi Annotata in S. Froilani Acta lit. m.

p De Taborensi seu potius Tabarensi monasterio actum in iisdem Annotatis lit. p.

q De Morevolensis cœnobitii situ vide ibidem lit. r.

r Anno Christi 990, ut plerique censent, atque adeo die 30 Maii, ut in Annotatis ad Acta S. Froilani lit. v dictum est.

s Cum ante annum Christi 990 ab Almanzore, Maurorum duce, destructa Zamora esset, credibilis est, S. Attilanum potius de restaurandis utcumque templis et adunando disperso grege cogitasse, quam templa, populum et clerum mira solertia regere potuisse.

t Peregrinationem, a S. Attiliano susceptam, Marineus Siculus lib. v de Rebus Hispanicis, Manriqueus in Annalibus Cisterciensibus, Surius aliique hagiologi eodem sermo, ut sequitur, modo referunt.

u Simile quid de S. Arnulpho, episcopo Metensi, in ejus Vita narrat cœvovus ejus biographus tom. IV Jul. pag. 436, num. 7 et Sæc. 2 Bened. pag. 150.

x S. Attilanum cælesti voce a peregrinatione sua Zamoram revocatum fuisse, tradit etiam ejus epitaphium sub finem.

y De ecclesia S. Sepulcri Zamorensi meminit Davila tom. II Theatri Eccles. pag. 384.

z Di-

A z Dices, historiam hanc ex memorata S. Anulphi Vita de prompta esse, adeo altera alteri consonat, præterquam quod illa pro Hispani biographi genio non nihil amplius exornata suisque adjunctis vestita magis sit.

aa Cum anno Christi 1002 necdum Zamora ita e ruinis suis post illatam ei ab Almanzore vastitatem emeruisse videatur, ut et turres et campanas passim haberet, liceat interim, dum quis illam vel tum instauratam ostenderit, de prodigioso illo campanarum sonitu nonnihil ambigere; quin imo etiamsi tum temporis campanas Zamoræ passim exstitisse certum esset, non hinc tamen prodigium illud indubitatum fieret, cum a nullo æquali scriptore, nedum auro teste, memoriæ traditum reperitur.

bb De caelesti illo ac pretioso cultu pontificali, quo subito S. Attilanus ornatus fuisse hic dicitur, silent alii passim scriptores. Quo ex fonte illud haustum sit, divinare non possum.

cc Nimirum, ut vulgo creditur, completum, ut adeo narrationi huic non adersentur alii, cum dicunt, Sanctum postea vixisse annos circiter octo, sanctis semper operibus incumbentem.

B dd Si hæc recte docet communis sat veterum scriptorum consensus, natus fuerit S. Attilanus anno Christi 939, et Zamorensis episcopus, ut etiam supra dictum est, consecratus anno Christi 990.

ee Cum Epitaphium illud nullas exhibeat notas chronicas, ejus antiquitas exacte definiri nequit. Si tamen conjecturis, dum veritas certo erui non potest, locus detur, suspicor illud, vel exente sæculo xi vel ipso sæculo xii, quo tempore usitatissimum erat, rhythmum seu monotoniam, neglecto subinde syllabarum metro, in versibus quærere, hoc Epitaphium Sancti nostri sepulcro positum fuisse. Certe etiam eruditissimo Mabillonio antiquitatem sapere visum est.

ff Dolendum sane, vel neminem prodigia illa litteris complectam esse, vel ea ad nostra usque tempora diligentem servata non fuisse.

gg Vide Comment. num. 18 et seqq.

hh Hujus ecclesie mentio fit in Historia Revelationis seu Inventionis corporis S. Ildephonsi apud nos die 23 Januarii pag. 538; hanc autem

S. Petro sacram ædem ecclesiam cathedralem antiquitus fuisse, diserte testatur Joannes Egidius Zamorensis, sæculi xiii exeuntis scriptor in Historia Translationis et Inventionis corporis B. Ildephonsi, quam in Supplemento Januarii edituri sumus, desumptam, teste Joanne de Ferreras, ex authentico Ms. Zamorensi, in quo hæc expressa leguntur: Christiani residui, qui manus evaserant vastatorum (Arabum sæculo viii ac deinceps Hispaniam depopulantium) tamquam fidei zelatores, sacratissimas ecclesiarum reliquias, juxta quod eis erat possibile, collegerunt, ut in Asturias deportarentur, inter quas corpus B. Aldefonsi, Toletani archiepiscopi, deferentes, cum eodem Zamoram venerunt, et in ecclesia B. Petri, ubi sedes cathedralis fuerat aliquando, pignus sanctissimum reposerunt.

ii Regnante non Alphonso VIII, sed hujus nominis Legionis et Castellæ rege X, et Assuero, seu, prout in authentico Ms. Zamorensi, mox laudato, legitur, Sugerio episcopo Zamoremensem ecclesiam gubernante, dum nempe anno Christi 1260, ut Joannes de Ferreras scribit, ecclesia S. Petri repararetur, hanc corporis S. Ildephonsi inventionem contigisse, auctor est laudatus Egidius Zamorensis, qui non modo, ut ad marginem Ms. illius authentici adscripta verba testantur, Sugerii episcopi tempore floruit, sed etiam ex ipsius ore nonnulla, quæ refert, audivit.

kk Angelus Manrique Annal. Cisterc. ad annum Christi 1131, cap. 8 in fine, trium dumtaxat clavium mentionem facit. Utri autem hic assentiendum sit, an Actis, an Henrico, non est operæ pretium disputare. Porro lubet Henrici verba, quæ hic faciunt, recensere. Zamoram, inquit loco citato, Attilanus integer ornat, pestilenti contagio (vide Loberam pag. 445 et seqq.) per ipsum non semel liberam, juncto sepulcro Ildephonsi Toletani, qui et ibidem quiescit, et cui ut hospiti cedit nomen basilicæ, cætera æquales. Reserare cancellos nemini licet, absente aut inscio abbate Morerola, pence quem una e tribus thesauri clavibus. Sed nec in publicum prodire visus est, et prodiit quidem hoc ipso nostro sæculo (nempe 17, quo laudatus Manrique hæc scribebat) nisi delatus a filiis sui cœnobii.

DE B. PETRO DE IMOLA, EQUITE HIROS.

S. JOANNIS,

FLORENTIÆ IN HETRURIA.

SYLLOGE.

ANNO MDCCLXX.
Beatus, quem
in Martyro-
logium suum
Universale
intulit Cas-
tellanus,

Etsi nulli prorsus hagiologi, sive Itali, sive alii, sæculo præsentis antiquiores, B. Petrum, de Imola seu de Foro Cornelii, quæ Emilia, nobilis Italiae regionis, sub ditione Pontificia Bononiam inter et Faventiam sita urbs est, a loco natali vulgo cognominatum, in Fastis sacris, a se concinnatis, commemorarint, cum tamen in Martyrologium suum Universale, cum id anno 1709 typis Parisiensibus editi, Castellanus ad hunc diem intulit Gallicis hæc Latine a me redditis

verbis: Florentiæ beatus Petrus de Imola, eques S. Joannis Hierosolymitani, Prior Romanus. Jacobus Bosius sacri Ordinis illustrissimæque Militiæ S. Joannis Hierosolymitani, qui Ordo communius modo Melitensis Ordo vocatur, Historiam anno 1594 typis Vaticanis Romæ in lucem emisit, aliæque Operis hujus editio multo auctior sæculo proxime elapso prodiiit. In posteriori e binis hæc editionibus, quarum sola antiquior penes nos exstat, de B. Petro nostro part. 4, lib. 13 tractatur, nullaque hujus scripta inveniri Acta, auctor docet, uti ex Josepho Maria Brocchio,

C. B.